Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31239
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

non ut deus venit? Cur se tam humilem et imbecillemque constituit, ut
ab hominibus et contempni et pena affici posset? Cur inde ab imbecillis et
mortalibus passus est? Cur non manus hominum aut virtute repulit
aut divinitate vitavit? Cur non maiestatem suam sub ipsam saltem mor-
tem patefecit? Sed ut invalidus in iudicium ductus est, ut nocens dam-
natus, ut mortalis occisus. Refutabo hec diligenter, nec quemquam patiar erra-
re. Illa enim magna et mirabili ratione sunt facta: quam quicumque perceperit,
non tantum mirari desinet deum ab hominibus esse cruciatum, verum etiam fa-
cile providebit nec deum quidem potuisse se credi, si ea ipsa que arguit facta
non essent.

.XXIIII.

Quicumque precepta dat hominibus ad vitam moresque fingit
aliorum, quero debeatne ipse facere que precipit an non debeat.
Si non fecerit, soluta precepta sunt. Si enim bona sunt que pre-
cipiuntur, si vitam hominum in optimo statu collocant, non se debet ipse
preceptor a numero cetuque hominum segregare, inter quos habitat ipse; et ipsi
eodem modo vivendum est, quo docet ipse vivendum. Ne si aliter vixerit,
ipse preceptis suis fidem detrahat, leviorem doctrinam suam faciat, si re
ipsa resolvat quod verbis instituit astringere. Unusquisque enim cum audit pre-
cipientem, non vult imponi sibi necessitatem parendi, tamquam ius sibi libertatis
adimatur. Respondet itaque doctori hoc modo: Non possum facere que iubes,
quoniam sunt impossibilia. Vetas me irasci, vetas cupere, vetas libidine com-
moveri, vetas dolorem vel mortem timere; sed hoc adeo contra naturam est,
ut his affectibus animalia universa subiecta sint. Vel si adeo putas rep-
ugnari posse nature, tu ipse qui precipis fac ut sciam fieri posse. Cum
autem ipse non facias, que insolentia est, ut homini libero imponere velis
leges quibus ipse non pareas? Prius disce qui doces, et antequam mores aliorum
corrigas, tuos corrige. Quis neget iustam esse hanc responsionem? Quin et
in contemptum veniet huiusmodi doctor et deludetur vicissim, quia vi-
debitur et ipse deludere. Quid ergo faciet ille preceptor, si hec ei fuerint oppo-
sita? Quomodo adimet excusationem contumacibus, nisi ut presentibus factis do-
ceat se possibilia docere? Unde evenit ut philosophorum preceptis nullus obtemperet.
Homines enim malunt exempla quam verba, quia loqui facile est, prestare dif-
ficile. Utinam quidem tam multi benefacerent, quam multi loquuntur bene.
Sed qui precipiunt nec faciunt, abest ab eis fides; et si homines fuerint, con-
temnentur ut leves; si deus, opponetur ei excusatio fragilitatis huma-
ne. Superest ut factis verba firmentur: quod philosophi facere nequiunt. Itaque
cum ipsi preceptores vincantur affectibus, quo vinci predicant oportere,

Audite predicatores verbo et non vita: